



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Patriarchæ Antiocheno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

**J E R O S O L Y M I T Á N O**  
Patriarche apostolice sedis Legato.

**P R I O R I E T F R A T R I B V S**  
Sancti Bartholomei de Trifulto Cartusiensis ordinis tam presentibus quam futuris heremiticam vitam profissi in perpetuum.

**G**RATI nobis dilectus filius nobilis vir G. Montis Beliardi regni Ierosolymitanum Comes stabulus conquestione monstravit quod cum ipse carissimum in Christo filium nostrum Hugonem Cypri Regem illustrem & regnum ejus sicut bajulus fideliter custodierit, idem Rex, postquam ad legitimam pervenit etatem, ipsi pro bonis mala retribuens, eundem & suos, licet in ipsum defectum aliquem non invenerit, fine judicio curiae a regno ejus ejecit, & sibi abstatuit terram suam. Licet autem dictus nobilis viribus, sicut asserit, jus suum recuperare potens existat, ob reverentiam tamen apostolicae sedis & terrae sanctae necessitatem, cui ex hoc posset periculum imminere, viribus adhuc uti noluit contra eum, sed potius ratione. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Regem efficaciter moneas & prudenter inducas ut pro reverentia apostolicae sedis & nostra neconon terrae sanctae subsidio, in quo idem nobilis strenue ponitur laborare, ipsum in gratiam suam recipiens, sine difficultate sibi restituat iura sua; injungendo nihilominus nobili memorato ut eidem Regi servitum exhibeat & honorem. Licet autem non intelligamus ad praesens super hoc aliud expressius injungendum, tibi tamen, de quo plene confidimus, vices nostras duximus committendas ut previa ratione procedas sicut providentia dictaverit procedendum. Datum Laterani VII. Kal. Octobris.

**P A T R I A R C H A E A N T I O C H E N O**

**Q**Verelam dilecti filij nobilis viri O. de Dempera recepimus continentem quod licet ipse nobilem mulierem E. sororem carissimi in Christo filij nostri Hugonis Cypri Regis illustris legitimè duxerit iu uxorem, & inter eos matrimonium consummatum extiterit commixtione carnali, nobilis tamen vir R. nepos illustris Regis Armenie sibi eandem illicite copulans, in anima sua periculum ipsam detinere praesumit. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audias causam, & si de partium fuerit voluntate, ipsam canonico fine decidas; alioquin inquisita super his pleniùs veritate, nobis eam fideliter nuntiare procures, ut de vultu nostro judicium prodeat æquitatis. Datum Laterani VII. Kalend. Octobris.

Tom. II.

**V**Inea culturæ cœlestis, in qua manu divina Cartusiensis est ordo plantatus, ita jam palmites suos longè latèque gorum diffudit flores producentes & fructus uberes ac luves ut eorum delectati fragrantia decreverimus juxta nos ipsius desiderabile germe habere, non solum ut ejus intercessionibus apud Dominum efficacius adjuvemur, verum etiam ut ipse ordo ex apostolicae sedis vicinitate familiariter sibi jungatur in visceribus caritatis. Vnde nos Ecclesiam sancti Bartholomei de Trifulto jamdudum ordini vestro concessimus, facientes ibidem construi monasterium secundum ipsius ordinis instituta. Vestris igitur justi precibus annuentes, præstatum sancti Bartholomei monasterium, in quo divino effigie obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione fuscipimus & praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut heremitus ordo, qui secundum Deum & institutionem Cartusiensium fratrum in eodem loco per nos institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quaecunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in praesentiarum rationabiliter obtinet, aut in futurum &c. usque consistant. Terminos autem qui domui vestre prædicti sunt statuti, auctoritate apostolica confirmamus. Qui profecti sunt hi; videlicet Rivus veniens de Guarino usque dum junxit flumini Colopardi apud sanctum Calixtum de Antonia, inde renditur circumundo per sanctum Gregorium de Obscurano, per Lavacellum, per sanctum Aegidium de colle, per collem de Arella, inde descenditur ad rivum Vallis ex parte Casemarij, ad Ecclesiam sancte Mariæ de Macena. Ibi ex altera parte vallis incipiunt quædam montana usque contra Petramalama pervenientia per haec loca, videlicet sanctum Iohannem de Pratellis, sanctum Angelum de Mortaria, vallem Fraxinorum. A Petramala itur circumundo per montana usque dum venitur ad Campum vanum supra Guaricum; & inde descenditur per vallem citra Guarcinum usque ad rivum ejusdem castri in principio nominatum. Ad instar quoque felicis memoriae Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui capitula subsequentia ordinis vestro

A A a ij

Bf. 105.  
Diversiada  
tus O. de  
De Imperia  
• in Cal. Coll.  
Alapara